



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Regula Sancti Patris Benedicti**

**Benedikt <Montecassino, Abt, Heiliger>**

**Moguntiae, 1604**

Gratiæ, Et Indvlgentiæ Svmmis Pontificibus nostræ Congregationi  
concessæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64533)

GRATIÆ, ET INDVLGEN-  
TIÆ A SUMMIS PONTI-  
ficibus nostræ Congregationi  
concessæ.

**S**CIENDVM est ad futuram re-  
rum memoriam: quòd præter  
communia Priuilegia in Reli-  
gionis fauorem omnibus Reli-  
giosis generaliter à iure conce-  
ssa, præter etiam gratias multas & maximas  
exemptionis, & immunitatis in specie Con-  
gregationi nostræ concessas, vt patet ex prin-  
cipali legis, tam sanctæ memoriæ Eugenii IV. quàm  
etiam aliorum summorum Pontificum immu-  
tatas quoq; alias gratias & cõcessiones, tam per  
Breuia & simplices signaturas, quam etiam  
oraculo viuæ vocis à plerisque summis Pon-  
tificibus, per temporum successiones cen-  
tum annorum spatio consecuti sumus. Quas  
sparsas, & quasi extrauaganes, hinc inde col-  
lectas in vnum hoc capitulum compegimus,  
quo processu temporum non perirent: &  
successores nostri frui possent huiusmodi in-  
dultis: ne tanto, ac tam memorabili thesauro  
fraudentur: simul vt præsentibus & futuri  
grati semper essent & deuoti erga summam  
sedem Apostolicam, quæ semper nos ad

dilexi



dilexit, fouit, tutata est, totque & tantis gra-  
tiis prosecuta, tam ob benignitatem suam,  
& beneuolentiam singularem, quam ob me-  
rita quoque, & sanctimoniam Patrum no-  
strorum antiquorum, qui sudoribus & labo-  
ribus atque industria sua sanctam hanc Con-  
gregationem fundauerunt, erexerunt, stabi-  
lierunt. Quorum nos etiam assequi vestigia  
& aliorum nobis parta sudoribus, non tueri  
solum verum etiam augere, & in dies multi-  
plicare valeamus: vt diebus nostris hæc Cō-  
gregatio, & merito, & numero ad Dei omni-  
potentis laudem, multorumque profectum  
etiam in posterum augeatur.

Beatiss. igitur Papa Eugenius, semper no-  
bis, & vbique summa cum gratitudine, & ve-  
neratione nominandus, præter prædicta Pri-  
uilegia, vt supra dictum est, hæc quoque in  
primis Congregationi concessit: quæ quia  
multa continent capita, eodem ordine ad  
verbum infra explicabuntur.

**B**eatissime pater supplicant S. V. deuoti  
Fili, & Oratores vestri, Præsidents & Vi-  
sitatores Congregationis Monachorum de  
obseruantia Sanctæ Iustinae: quatenus de sin-  
gulari gratia, & in fauorem obseruantia Re-  
gularis concedere dignemini, quòd Præsides,  
Visitatores, Abbates, Priores, Administra-  
tores, & qui loco eorum in ipsorum absentia  
constituuntur Monasteriorum, siue locorum  
dictæ Congregationis præsentis & futuri:  
omnibus & singulis Monachis, Nouitiis. Cō-



ueris, Commissis eiusdem Congregationis qui nunc sunt & pro tempore fuerint confiteri volentibus, pro omnibus & singulis peccatis, delictis & excessibus, de quibus sedes Apostolica esset merito consulenda, pro se tantum, pro alius verò quibuscunque, præ sedis Apostolicæ reserua: quotiens opus fuerit autoritate Apostolica possint absolutionis beneficium impendere, & pœnitentiæ iniungere salutarem.

1. Similiter, omnes & singulos prædictos quibuscunque excommunicationum, suspensionum, & interdictorum sententiis, aliisque censuris, & pœnis ecclesiasticis, à iure, vel ab homine autoritate Apostolica, vel quavis generaliter, vel specialiter promulgatis, & quarum absolutio esset etiam sedi Apostolicæ generaliter vel specialiter reseruata, si quas incurrerint, iniuncta debita satisfactione, quotiens opus fuerit absolueri valeant.

2. Possint etiam super irregularitatibus quibuscunque, & quomodocunque contractibus, homicidio seu membri mutilatione propria manu commissis, aut falsificatione litterarum Apostolicarum & bigamiæ, irregularitatibus duntaxat exceptis semel tantum, cum supra dictis dispensare.

3. Super irregularitatibus verò, si quas ex futuris prædictis, vel earum aliqua diuina officia celebrando, dum tamen non in contem-



ptum clauium, forsan incurere contigerit, quotiens opus fuerit valeant similiter dispensare: ita vt omnes, & singuli, cum quibus super irregularitatibus supradictis dispensare contigerit, vt præmittitur, ad omnes sacros ordines promoueri valeant, & in ordinibus sic susceptis liberè ministrare.

4. Quodque Præsidens, Visitatores, Abbates, Priores, & administratores, & qui eorum loco in ipsorum absentia deputantur, à confessore quem elegerint in præmissis absolui possint, quotiès expedierit, & cum eis vt præmittitur dispensari.

5. Quodque deputati ad audiendum confessiones Congregationis huiusmodi, possint audire omnes ad se venientes, absque aliorum Superiorum licentia, & eos penitentia & satisfactione iniunctis quotiens oportuerit absolueri ab omnibus & singulis peccatis & à quibuscunque suspensionum & excommunicationum sententiis, aliisque ecclesiasticis censuris & pœnis, quas à iure vel ab homine latas incurrisse quomodolibet censentur, ac in omnibus & singulis casibus cum eis dispensare præter ea peccata, censuras, pœnas, & casus, de quibus ipsis Confessoribus videbitur eorum Ordinariis deferendum, aut de quibus esset meritò sedes Apostolica consulenda, & eis ministrare Eucharistiæ sacramentum.

6. Quodque pœnitentia ieiuniorum, quæ impoita est Monachis, & personis dictæ Cō-

grega-



gregationis, occasione Plenariae Indulgentiae in articulo mortis per Priuilegium Apostolicum concessae, possit per Praelatos, seu Visitatores dictae Congregationis modificare, additari, variari, augeri, & minui, dictorum Praelatorum arbitrio.

7. Et quod haec & aliae gratiae amplectantur Nouitios, qui dumtaxat perseverauerint, nec de eis in Apostolicis litteris non caueatur.

8. Quodque in omnibus gratiis eidem Congregationi, siue eius Monasteriis, vel personis concessis, si quid dubitationis vel scrupuli emerit, non secundum iuris rigorem subtilitates aut difficultates, sed secundum bonam aequitatem, in fauorem salutis animarum largissime intelligantur, & interpretentur.

*Fiat ut petitur de omnibus. G.*

**E**T quod supradicta omnia per solam Aegnatam S.V. vim & effectum obtineant, ac si super illis litterae Apostolicae confectionis: & per Bullam Plumbeam obtenta fuerint. Non obstantibus Apostolicis, & alicuius Cancellariae constitutionibus, consuetudinibus, & ordinationibus contrariis quibuscunque.

*Fiat G.*

*Data Ferraria, quinto Kalend. Iulii. Anno XIII.*

*I. Vniuers.*



**V**Niuerſis, ac ſingulis Præſidenti, Viſita-  
toribus, Abbatibus, Prioribus, Reſto-  
ribus, Monachis, Conuerſis, Commiſſis, &  
Nouitiis, Congregationis Monachorum S.  
Iuſtinæ, Ordinis S. Benedicti præſentibus &  
futuris, ad quos noſtræ huiusmodi peruene-  
rint literæ ſalutem, & pacem in Domino IESU  
CHRISTO.

2. Fidem facimus, & teſtamur nos Diffini-  
tores Capituli Generalis eiufmodi Congre-  
gationis, celebrati in Monasterio ſancti Bene-  
dicti de Padolirone, Mantuanæ diocæſis eiuf-  
dem ordinis & Congregationis: Anno Do-  
mini M. ccccxxxv. die verò XIII. menſis  
Maii. Qualiter Sanctiſſimus Dominus noſter  
Dominus Eugenius Papa III. conceſſit præ-  
fatæ Congregationi anno primo ſui Pontifi-  
catus inſcriptas gratias, per ſignaturâ ma-  
nus propriæ, quam abſque Bullarum confe-  
ſione voluit valere, ipſamque ſignaturam  
in aliquibus, minus plenam Oraculo viuæ  
vocis poſtea ſuppleuit, prout inferiùs tenore  
præſentium duximus annotandum: vt ſit  
memoriale perpetuum, ad faciendam fidem  
præſentibus & futuris, ac de mentibus fratrum  
ambiguitates & ſcrupuloſitates tollendas: vi-  
delicet, quòd Præſidens, Viſitatores, Abbates,  
ſeu Priores Monasteriorum, ſiue locorum  
diſtinctæ Congregationis præſentium & futuro-  
rum, omnibus & ſingulis Monachis Conuer-  
ſis, Commiſſis & Nouitiis eiufdẽ Congrega-  
tionis qui nunc ſunt & pro tempore fuerint,



confiteri volentib. pro cōmissis singuli (etiam  
 talia fuerint propter q̄ esset Sedes Apostolica  
 consulenda) auctoritate præfata in fauorem  
 Religionis, absolutionis beneficiū impediens,  
 ac pœnitentiā salutarem iniungere, illis  
 que à quib. seuque suspensionum, & inter-  
 dicti sententiis, aliisque ecclesiasticis censuris  
 & pœnis quas à iure, vel ab homine, etiam  
 per legatorum, vel Delegatorum Sedis  
 apostolicæ sententias promulgatas incurrit  
 quomodolibet censentur: etiam si propter  
 reā ad Sedem Apostolicam, vel quælibet  
 aliam specialiter habendus esset recursus, de-  
 bita satisfactione, si qua propter huiusmodi  
 censuras esset fienda, præmissa, vel de eadem  
 fienda loco & tempore debitis præstita pœ-  
 nitione, & aliis pœnitentiis, & satisfactio-  
 ne iniunctis absoluerè possint, ac cum eis  
 per irregularitatibus, si quas propter huius-  
 modi sententias, vel aliter quomodocunque  
 præterquam in homicidij propria manu  
 commissi, aut bigamiæ casibus, etiam si Ni-  
 sas, & Diuina Officia, non tamen in contem-  
 ptum clauium, post huiusmodi censuras ce-  
 lebrauerint, aut se immiscuerint, dispensare  
 & eos absoluerè possint, abolendo etiam om-  
 nem inhabilitatem & infamiæ notam, ut  
 ut ad omnes Sacros Ordines valeant promo-  
 ueri.

3. Abbates quoque, & Priores Congrega-  
 tionis præfate, ab ipsius Congregationis

præ-



Præsidente & Visitatoribus in præmissis absolui possint, & secum dispensari.

4. Præsidents verò à quocunque Visitatore: Visitatores ab ipsis inuicem, & à Præsidente absolui, & cum eis dispensare valeant in omnibus, vt præmittitur.

5. Quodque deputati ad audiendum confessiones per Monasteria, seu loca dictæ Congregationis, possint audire ad se venientes, absque alia superiorum suorum licentia, & eos absolueri ab omnibus peccatis ac in omnibus casibus cum eis dispensare, præter ea peccata, & illos casus, de quibus ipsis confessoribus videbuntur eorū Episcopis deferenda, aut de quibus esset Sedes Apostolica meritò consulenda, & eis ministrare Euchari- stia Sacramentum.

6. Insuper, quòd pœnitentia ieiuniorum, quæ imposita est Monachis & personis dictæ Congregationis, ratione Plenariæ Indulgentiæ in mortis articulo, per Priuilegium Apostolicum concessæ, possit per Prælatos seu Visitatores dictæ Congregationis modificari, alterari, variari, augeti, & minui, dictorum Prælatorum arbitrio. Et quod huiusmodi gratia plenariæ indulgentiæ amplectatur etiam Nouitios, licet de eis in Apostolicis litteris non caueatur.

Ego Dominus Ioannes de Sicilia Scriba Capituli,  
ad fidem prædictorum me scripsi. An-  
no, & die, quo supra.



*Indulgentie Stationum.*

**D**ominus Eugenius prædict<sup>9</sup>, concessit cuilibet de Congregatione nostra Indulgentias Stationum Ecclesiarum vrbis, visitando quinque altaria sui loci, aut parochialis, si tot non habuerint, semelque Psalmum Miserere, ad quodlibet altare, pro felicitate matris Ecclesie dicendo.

2. Si verò contingat exire propria Monasteria, visitando in quacunque ecclesia altaria, præmittitur, eandem Indulgentiam consequantur.

3. Nescientes autem Psalmum Miserere, loco eius, dicant ter Pater noster, & Ave Maria pro quolibet altari.

Concessa fuit hæc gratia. Anno Domini

1436.

1436. Pridie Calend. Iulii.

**P**aulus quoque Secundus concessit quod infirmi qui ad Ecclesiam accedere non possunt, si in camera in qua habitant dicant quinque Psalmum Miserere, eandem gratiam Stationum consequantur. 1469.

1469.

**S**ixtus Quartus concessit eandem Stationum Indulgentiam diebus singulis, quando generale Capitulum celebratur omnium nostræ Congregationis Fratibus visitantibus

altaria



altaria, & facientibus prout aliis diebus Stationum fieri consuevit. Anno 1473. Pontificatus sui Anno secundo. 1473.

**I**dem concessit, quod si Congregationis nostræ Fratres aliqua essent necessitate vel infirmitate præpediti, vel in itinere cõstituti, ita quod ad Ecclesias pro consequendis Indulgentiis, & aliis gratiis huic Congregationi concessis adire non possint, illas nihilominus consequantur, dicendo duntaxat illud quod in Ecclesia dicturi erant.

**L**eo etiam Papa decimus concessit, quod quilibet ex Fratribus nostræ Congregationis, possit consequi Indulgentiam Stationum, dicendo quinquies Psalmum: Misere: ante vnum altare tantum in ecclesia, vel in choro, vel vbiunque, vbi altare fuerit in locis nostris.

*De gratia Indulgentiarum Urbis, & Orbis.*

**I**nnoentius Octauus, concessit omnibus Congregationis Fratribus, etiam Oblatis vt visitando Ecclesias Monasteriorum & aliorum locorum Congregationis nostræ, siue principales, siue annexas & subiectas, semel genibus flexis dicendo Psalmum: Misere: qui verò nesciunt, dicant orationem Dominicam, & salutationem Angelicam quinquies, vltra Indulgentias Stationum almæ Urbis,

k omnes



omnes alias & singulas Indulgentias Ecclesiarum omnium dictæ Urbis tam intus quam extra, & propè, quæ hætenus per sedem Apostolicam concessæ sunt, & concedentur futurum, siue plenariæ fuerint siue temporales, in omnibus, & per omnia, ac si dictas Ecclesias visitarent, & omnia illa facerent, quæ ad consecutionem huiusmodi essent opportuna.

2. Item, idem declarauit ad instantiam nonnullorum Patrum Congregationis nostræ, quod Indulgentiam Urbis Congregationi concessam, itinerantes assequantur, dicentes Psalmum: Miserere, tam in aliis locis, quam in nostris. Quam etiam indulgentiam assequuntur infirmi dicendo Psalmum: Miserere, prout possunt: & declarauit intelligi debere non solum Indulgentias ecclesiarum quæ sunt intra urbem, sed etiam extra, & propè.

1492.

3. Idem quoq; Pont. 1492. Ampliando prædictam gratiam, viuæ vocis oraculo induit omnibus præfatis, etiam Oblatis in Monasteriis commorantibus, quod addendo ad dictum Psalmum: Miserere, vel ad quinque Pater noster, &c. orationem: Deus omnium fidelium Pastor, &c. pro felicitate vitæ huius dum vixerit: Et post mortem in remedium animæ suæ, orationem: Deus qui in Apostolicos sacerdotes, famulum tuum innocentium, &c. consequantur Indulgentiam omnium Ecclesiarum non solum Romæ, propè existentium, verum etiam in toto

raru



errarum orbe constitutarum.

4. Volens insuper legitimo impedimento detentis ad easdem consequendas Indulgentias satis esse, si semel tantum Dominicam orationem, cū Angelica Salutatione dixerint, aut si nihil omnino dicere nequiuerint solam intentionem sufficere.

**I**ulius secundus, confirmauit dictam Indulgentiam omnium Ecclesiarum mundi, quam olim concesserat Congregationi nostræ Præfatus Innocentius: hac conditione, quod fiat pro sua Sanctitate idem, quod pro se fieri statuit idem Innocentius: sicut etiam fecerat prædecessor suus Alexander Sextus in sua eiusdem Indulgentiæ confirmatione. Vnde post Psalmum, *Miserere*, dicenda est oratio infra scripta: Deus qui inter Apostolicos Sacerdotes, famulos tuos Innocentium, Alexandrum, & Iulium, &c.

*De Indulgentiis Plenariis.*

**E**vgenius Quartus concessit omnibus de Congregatione verè pœnitentibus & confessis, in articulo mortis plenariam Indulgentiam omnium peccatorum: quæ tam è ex confidentia concessionis huiusmodi non commiserint, si tamen Septem Psalmos Pœnitentiales, cum Litiis & Orationibus cōuetis qualibet hebdomada per integrum annum dixerint.



2. Commissis verò, qui præfatos Psalmos recitare non potuerint, si quinquagesimam Pater noster, & Ave Maria dixerint.

3. Ipse quoque concessit, quod dicta Indulgentia possit per Prælatos seu Visitatores Congregationis modificari, alterari, variari, augeri, & minui ipsorum arbitrio. Et quod huiusmodi gratia amplectatur etiam Novitios licet de eis in Apostolicis litteris non casetur.

4. Qui summus Pont. postea declaravit, si quis ante peractam pœnitentiam, Septem Psalmorum moreretur, nihilominus Plenariè ut supra, absolui possit.

**P**IVS Secundus concessit, quòd pro consequenda Indulgentia Plenaria in mortis articulo, respectu Privilegii dicti Eugenii in quo continetur, quòd per annum semel hebdomada Septem Psalmi Pœnitentiales cantur, possit tempus abbreviari, & sic factum privilegio, si totiens prædicti Psalmi dicantur, quot sunt in anno hebdomada.

2. Concessit etiam, quod si Frater in articulo mortis constitutus reperiretur in loco, ubi Sacerdos de Congregatione haberi non possit, quilibet alius Sacerdos, possit sibi de prædictam Indulgentiam.

3. Cōcessit insuper, quod qui præfaram pœnitentiam pro Indulgentia mortis articulo consequenda compleverint, ex tunc ipsi



gratiam ab hac luce decedentes assequantur, etiam si Sacerdotis copia in ipso suæ vitæ termino caruerint, dummodò in ipsius Congregationis gremio esse reperiantur.

1. **I**lius Secundus concessit, quod qui cœperint dicere Septem Psalmos, vt supra, & non continuauerint, siue perfecerint transacta vna hebdomada, seu pluribus, prosequi possint iam cœptam pœnitentiã, donec perficiant, diuersis etiam temporum interuallis, ita vt non sit necesse iterum à principio repetere.

2. Concessit etiam, quod si Frater constitutus in mortis articulo non dixit, aut non recolit se dixisse, aut certe non impleuit debitum, ac præfixum Septem Psalmorum numerum, possint Fratres illius Conuentus, cum vnum corpus cor vnum & anima vna sint, supplere ante & post mortem, in toto vel in parte defectû Fratris, ita quod sit capax prædictæ indulgentiæ.

3. Declarauit etiam quòd mortis articulus intelligatur de vero & non præsumpto, id est, quod non sortiatur effectum ipsa gratia nisi in vero mortis articulo, etiam si semel vel pluries alicui in mortis articulo data fuerit.

**S**ixtus Quartus concessit omnibus de Cõgregatione Indulgentiam Plenariam in mortis articulo.



1492.

**I**nnoCentius Octauus concessit: etiam in omnibus, vt supra, Indulgentiam Plenariam in mortis articulo, etiam cum absolutioe ab omnibus casibus, cum omnimoda auctoritate Apostolica: ac si confessor in illo esset summus Pontifex. Et hoc de Anno 1492. 29. Aprilis viuz vocis oraculo.

*Indulgentia in festo Sanctissimi Patris nostri Benedicti.*

1473.

**P**ius Secundus, per Bullam sub. dat. concessit omnibus de Congregatione Indulgentiam Plenariam, in die Sanctissimi Patris nostri Benedicti, per viginti sequentes annos duraturam.

**S**ixtus Quartus eandem Indulgentiam Anno 1473. prorogauit, vsque ad alios viginti annos, à fine prædictorum incipendos.

1501.

**A**lexander Sextus eandem Indulgentiam per alios viginti annos prorogauit incipiendo ab Anno 1501.

**E**vgenius Quartus Fratribus nostris Commissis concessit omnes Indulgentias Congregationis, sicut aliis Monachis.

**C**alixtus quoque tertius concessit, vt Oblati Congregationis gauderent omnibus gratiis spiritualibus, sicut & Monachi.

Inno



**I**nnoentius etiam concessit, quod Capellani Monasteriorum nostrorum, qui pro tempore fuerint, sint participes earundem gratiarum spiritualium, seruatis seruandis.

**P**aulus Secundus concessit Anno Domini 1468. Die 18. Nouemb. quod habentes votum Religionis, assumentes statum commissorum, & perseverantes in eo voto, satisfecisse intelligantur.

**S**ixtus quartus concessit Congregationi nostræ Indulgentiam Plenariam in die Coronationis suæ, dicentibus ante altare maius ter Psalmum: Miserere, aut duodecies: Pater noster, & Aue Maria.

**H**anc gratiam renouarunt, Innoentius Octauus, Alexander Sextus, Iulius Secundus in die Coronationis eorum, facientibus, vt supra.

**L**eo quoque Decimus eandem gratiam Congregationi concessit in die Coronationis suæ, quæ fuit Anno Domini. 1513. die decima nona Martii.

**S**ixtus Quartus, concessit Anno Domini M. cccclxxvi. quod Fratres nostri, qui diuersis occupationibus impediti, diuinis Officiis, in Festo Corporis Christi, & Visitationis Beatæ Virginis, atque eorum octauis interesse non possunt, earundem Indul-



gentiarum gratiam, ac si personaliter inter-  
essent, consequantur.

1436.

**E**Vgenius Quartus concessit, quod Sa-  
criste nostri in itinere constituti, aut ad  
ad hoc causa subsistente, ante diem & vicem  
ad Nonam inclusivè celebrare valeant. Ha-  
betur in Priuilegio quarto, sub Dat. Priuilegii  
Kalend. Iulii. 1436.

1487.

**I**ulius Secundus, concessit viuz vocis or-  
aculo, quod Prælati Congregationis possint  
habere in via altare portatile, erigere etiam  
seu transferte altare, irrequisito Conuentu.

1487.

**I**nnoentius Octauus concessit, quod Præ-  
lati Congregationis nostræ tam Abbates  
quàm Priores, principale Regimen habentes,  
possint & valeant benedicere corporalia  
vestimenta, cæteraque ornamenta Ecclesiæ  
& ad cultum diuinum pertinentia, & tam suæ  
Ecclesiæ, quam etiam vndeunque delata, &  
tam à nostris, quam ab aliis, & hoc viuz vocis  
oraculo. 1487.

1476.

**S**ixtus Quartus, concessit omnibus de  
Congregatione nostra equitantibus, in  
aduentu, & Quadragesima, & aliis vigiliis  
de præcepto, quod in mane possint accipere  
quatuor aut quinque bolos vel circa, cum po-  
tu, & in sero comedere. 1476.



**I**nnoentius Octauus concessit, quòd Superiores Congregationis, in Quadragesima & aliis ieiuniis de præcepto possint anticipare horam comestionis ante horam Nonam, vt eis expedire videbitur.

**P**ius secundus, anno M. cccc. lxxiii. viua<sup>1464.</sup>  
voci oraculo concessit Patribus Præsidenti, & Diffinitoribus Capituli Generalis, quod Fratribus incorrigibilibus licentiam impertiri possent transeundi ad Religionem eiusdem Regulæ etiam laxiorem, & in qua etiam minus regulariter viueretur.

**S**ixtus quoque Quartus concessit, vt quos Patres iudicauerint incorrigibiles, siue pro Congregatione non facere, ab obedientia sua licentiare, ac etiam expellere de Congregatione, iuxta Regulam valeant: & si ipsi discesserint, eos requirere non teneantur: non obstante iure aliquo, nec in contrarium facientibus quibuscunque.

**I**nnoentius Octauus 1485. Decima Decembris, per Breue Apostolicum concessit<sup>1485.</sup>  
Patribus Congregationis, quòd de cætero perpetuis futuris temporibus liceat Monachos fugitiuos, vel quouis modo, etiam auctoritate Apostolica à corpore dictæ Congregationis separatos, etiam si in aliquo Monasterio, vel Religione stabilitatem suam firmauerint, & habitum Congregationis non



dimiserint, quotiens eos cum habitu Congregationis repererint, trina præmissa canonica monitione, Sub pœna excommunicationis denunciare, & cogere ut habitum huiusmodi dimittant, atque spoliare eos præfato habitu, inuocato etiam ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachii secularis non obstantibus quibusuis prouisionibus vel priuilegijs forsan eis sub quibusuis uerbis formis pro tempore concessis, cæterisque, &c.

**I**dem concessit uixæ uocis oraculo seu declarauit, quòd Prælati Congregationis correctionis gratia, non solum per seiplos, sed etiam per alium Monachum verberare possint. 1490.

1490.

**I**nnoentius Octauus per signaturam in supplicationem Patrum Congregationis omnia & singula Confessionalia Monachorum dictæ Congregationis in specie concessa, quæ forsan in futurum sine licentia suorum Superiorum concedi contigerit reuocauit, & annullauit: ac eis in aliquo suffragari non debere, de gratia speciali decreuit: non obstantibus quibuscunque in contrarium facientibus.

**A**lexander Sextus, reuocauit etiam instantiam Patrum Congregationis omnia Confessionalia tam sancti Spiritus de Roma quam cuiuslibet indulti, per quoslibet

summa



summos Pontifices tam concessa quàm concedenda, quoad nostros Monachos, & alias Congregationis personas.

**S**IXtus Quartus concessit quòd obligatis ad Diuinum Officium sufficiat attentio ad Antiphonas & Responsorialia & alia huiusmodi, quæ dicuntur per vnum in Choro.

**I**dem declarauit, quòd quibuscunque verbis vtantur legantes vel testantes, seu alii imponentes & acceptantes Missas, intelligantur ii tales ad participationem tantum admissi, & non ad totum Missæ effectum.

**P**ius Secundus concessit Patribus Congregationis nostræ, quod per omnia Monasteria Congregationis nostræ hospitibus, peregrinis, & famulis possint à nostris Monachis conferri Ecclesiastica Sacramenta, quotiens fuerit, si quos illorum contigerit infirmari.

**I**nnoctius Octauus concessit viuæ vocis oraculo seu declarauit, vt non solum Sacerdotibus ad audiendas confessiones deputatis, sed etiam aliis dictæ Congregationis Sacerdotibus de Mandato aut licentia dictorum Confessorum, aut aliorum suorum Superiorum, liceat sic conf. isis Eucharistiæ Sacramentum ministrare, ac si etiam de illis in præfato indulto fuisset expressum.



**I**vlus Secundus concessit, quòd Prælati, Conuentus Congregationis sine aliquo scrupulo conscientie possint renunciare rebus hereditariis non aditis.

**S**anctissimus D. N. Gregorius XIII. Pœtificatus sui Anno Octauo viuz vocis circulo omnibus Casinensis Congregationis Abbatibus, Prælatibus, Prioribus, Decanis, Monachis, Conuersis, Commissis, Oblatis, Nunciis, & Monialibus sub eiusdem Congregationis cura constitutis tam præsentibus quam futuris, qui ad altare maius, siue ad aliud quod aliud suarum Ecclesiarum aut alienarum si in itinere fuerint constituti, vel etiam in necessitate seu aliis necessariis negotiis & occupationibus præpediti, & præpeditæ, ad particulare sui cubiculi Oratorium debita cum deuotione, ac cordis contritione, semel Psalimum Miserere mei Deus, &c. Cum Orationibus: Deus omnium fidelium pastor, &c. & orator, &c. Deus qui inter Apostolicos Sacerdotes, &c. aut si prædictum Psalmum, & Orationes nesciuerint, quinquies Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam recitauerint, singulis diebus quibus prædictum fecerint plenariam omnium peccatorum suorum remissionem & indulgentiam in Domino concessit.



*Casus reſeruati Præſidenti, & Viſitatoribus.*

**S**I quis acceſſerit ad Monasteria Monialium non ſeruata forma in Ordinationibus contenta.

**C**omedentes carnes extra Monasteria, aut alia loca eis annexa contra formam præſtitutam, & exceptis caſibus in Ordinatione expreſſis, non poſſunt abſolui, niſi à Præſidente, aut aliquo ex Viſitatoribus. Si tamen difficultas eſſet eos adeundi, tunc per ſuos Prælatos ſi Monachi: ſi verò Prælati per vnum ex Senioribus Monasterij ſui abſoluantur. Hactamen iniuncta pœnitentia, vt Præſidenti, aut vni ex Viſitatoribus, quam primum commodè poterunt, ſe præſentent. Et inſuper quotiens carnes comedendo contrauerint, vna die pro qualibet vice, pro peccati huius ſatisfactione in pane & aqua ieiuent.

**A**poſtata, fugitiui, & licentiati, qui licentias ſuas non ſeruauerint à ſententia excommunicationis, quàm incurſerunt, niſi à Præſidente, & Viſitatoribus, aut à Præſato proprio abſolui non poterunt: habetur in capitulo Declarationum. xxix.

**S**I quis de Congregatione noſtra, Præſatus, Monachus, Commiſſus, aut Nouitiuſ in electione Diffinitorum practicam fecerit di-

rectè



rectè vel indirectè, eò ipso sententiam exco-  
municationis incurrunt: à qua præterquam  
Patre Præsidente absolui non possunt. Eius-  
super inhabilitatis ad omnes dignitatis gra-  
dus, officia, & administrationes per quinque  
annuum continuum à die transgressionis incipi-  
endum, pœnam, ac notam incurrunt. Per Bul-  
lam Leonis X. sub. Dat. XII. Cal. Martii. 1515.

1515.

*Casus Prælati reservati per Ordinationes nostras,  
à quibus nemo, nisi à Prælati ipsis, aut quibus  
illi commiserint, absolui poterit.*

1 **S**iquis de Congregatione nostra  
quod absit, in lapsum carnis ceciderit.

2. Si quis in se, vel in alterum, intèntione cor-  
rupta, quæ mortale peccatum inducat, actus  
fecerit impudicos
3. Si quis proprietarius fuerit: habetur in  
Declaratorio Regulæ, capitulo 33.
4. Si quis rebellis manifestus fuerit contra  
obedientiam, habetur in Declaratorio Re-  
gulæ. c. 3. & c. 23.
5. Si quis furtum commiserit.
6. Si quis aliquem percusserit: & habetur in  
Declaratorio. c. 70.



7. Si quis lectam vel practicam fecerit: Habetur capitulo quarto primæ partis de Cap. celebrando.

8. Si quis miserit litteras, aut receperit, aut eulogia, absque licentia Prælati sui: & habetur in Declaratorio cap. 54.

9. Si quis ignem incautè tractauerit, vel candelas accensas ad lecticas, vel parietes ligneos applicauerit, ita vt periculum sequi possit: & habetur in Declaratorio cap. 22.

10. Si quis mendacium perniciosum ex industria dixerit.

11. Si quis aliquod falsum Prælato, vel Fratribus imposuerit: Habetur in cap. 2. secundæ partis de cap. celebrando.

12. Si quis falsificauerit litteras, vel sigilla: & habetur capitulo 32. Declaratorij.

13. Si quis acceptauerit, vel miserit munuscula, vel litteras, aut ambasciatas, sine licentia Prælati: Habetur Capitulo 32. Declaratorij.

14. Si quis reuelauerit secretum Capituli, aut Congregationis, intra, vel extra dictam Congregationem, in ipsius, vel alicuius, particularis personæ infamiam, aut perturbationem: & habetur in cap. 3. Declaratorij.



15. Si quis sine licentia carnes manducaverit: & habetur in c. 39. Declaratorij.

16. Si quis aperuerit litteras directas Prælati, vel Visitatoribus: vel litteras sigillate sigilli Congregationis, nisi de licentia eorum ad quos diriguntur, & habetur in c. 54. Declaratorij.

17. Si quis sine licentia Prælati, vel vices eius gerentis, Monasterium egreditur: & habetur 67. cap. Declaratorij.

18. Si quis Monachus, Commissus, aut Notarius, aliquod secretum, extra sacramentali Confessionem, sub sigillo confessionis ab aliquo de ipsa Congregatione acceperit, non possit absolui, nisi à Prælato suo: iniuncta tamen sibi pœnitentia ieiunandi tribus diebus in pane & aqua in terra, per vnus mensis spatium.

FINIS.

1579. *Hæc omnia Gregorij XIII. Pont. Max. Diploma te confirmata, Generalibus Patrum Comitibus, anno salutis. M. D. LXXIX. in Cœnobio S. Benedicti ag. Mantuani, R. P. D. Paulus Venetus Congregationis Præses promulganda curauit.*